

/ Dilecte Fili noster Salutem, et Apostolicam benedictionem. Ita  
plane est ut scribis, fili, de tua salute et felici rerum tuarum  
statu et progressionem laeta semper in Domino audire valde avemus,  
gerimus enim te in corde intimo, et in visceribus charitatis Chris-  
5 ti, itaque pericula nobis fuerunt literae tuae, quibus nobis  
significasti, et prospero itinere Capuam pervenisse, atque in is-  
tam nobilem civitatem, et insignem Ecclesiam tuam more solemnem in-  
gressum etiam multa cum quiete, et populi frequentia ac concursu,  
ut maiorem senes illi non meminerint, et quod caput est, magna cum  
10 fidelium devotione, et spirituali gaudio; ipso, ut scribis, fortissi-  
mo Christi Martyre Beato Stephano te veluti in eandem tuam Eccle-  
siam feliciter introducente, cuius ille est Patronus, et cuius tu  
sanctum brachium cum, altero post ingressum tuum die, eius  
translatio opportune incidisset, stata ac celebri processione cir-  
15 cumtulisti, et sacrosanctum Missae sacrificium ritu pontificali  
Deo obtulisti magna multitudine et adstantium pietate celebratum.  
Gratulamur tibi, fili, et Deo gratias agimus, cuius te solam glori-  
am quaerere certo scimus. Ipse tecum sit, ipse adaperiat os tuum,  
et quod ipso Ascensionis die felici praedicandi exordio iam facere  
20 statueras verbum Dei multo cum fructu in terram bonam spargas, at-  
que diffundas; et denique praeclara illa talenta, quae tibi a Deo  
credita sunt, ad eius honorem, et animarum istarum utilitatem magno  
cum foenore negotieris. Cura etiam valetudinem tuam, fili, ut pas-  
torales labores tanto validius, et diutius perferre possis, ipso  
25 iuvante, a quo omnis nostra sufficientia est. Et nos tibi, hoc est  
filio nostro singulariter in Christo dilecto, et quem merito suo  
amamus plurimum, nostram paternam, et Apostolicam benedictionem to-  
to ex animo impartimur. Datum Romae apud Sanctos Apostolos sub  
anulo Piscatoris die 8 Junii 1602, Pontificatus nostri anno IX.